

LVNÆ DIE 11 M. DECEMBERIS A. 2006

A.d. III Idus Dec. a. MMVI

I 35

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRATRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

CEDANT ARMI INTELLIGENTIÆ

Non putavi symbolam « Deo capto » inscriptam contradictiones tam vehementes ac prolixas excitataram esse ; sunt tamen nonnulli, qui verbis meis assensi sunt, sed infeliciter stilum tam alacrem non habuerunt. ¶ Fortasse non satis dilucide scripsi, ut plane intellegerer. Conabor igitur respondendo sententiam meam accuratius patefacere. Primum puto solum rationalem dialogum humaniter institui posse inter homines omnium gentium omniumque confessionum ; ratiocinatio enim est facultas cerebri omnibus communis. ¶ Cum argumenta meorum contradictorum non eadem sint et inter se aliquatenus diversa, singulis separatis respondebo. ¶ Imprimis, optime Stephane, gaudeo, quod æque ac ego libertatem amas. Sine libertate, homo est servus. Certe agitur de libertate, ut de omnibus bonis : ne quid nimis, abusus nocet. ¶ Nullo modo rationalismum adoro, solum, ut supra dixi, liberis utor facultate ratiocinandi, quæ pertinet ad naturam humanam. Præterea rationalismus cum religionibus comparari non potest, cum non tendat ad vinculum inter hominem et Deum instituendum. Ratione tamen oportet religionum fundamenta investigare. Critica historica non potest revelationes prætermittere. Assentior Ciceroni, qui scripsit : « Ultra quo progrediar, quam ut veri similia videam, non habeo ; certa dicent ii qui et percipi ea posse dicunt et se sapientis esse profidentur. » (*Cic. Tusc. I, 9, 17*). ¶ Progressus scientificus haberi non potest ut dogma ; est enim fructus liberae rationalisque investigationis naturæ. Progressus technici hominibus magno emolumento sunt, etiam scientiarum naturalium contemptoribus, qui eis libenter fruuntur. Progressus vero technici tantum sunt effectus ipsius scientiæ fundamentalis, cuius pondus multo maius est. ¶ Non ego confusionem facio inter rem religiosam et moralem ; historia enim me docet has tres religiones semiticæ artissime coniunxisse rem moralem cum re religiosa. ¶ Hellenismus, quem dicis a Iesuitis mihi inculcatum esse, est notio, quæ secundo saeculo plenam significationem accepit propter christianorum apologetica scripta ; multi enim tunc conscribuntur tractatus Πρὸς Ἑλληνας (*Contra Hellenes*), ubi vituperantur philosophi « gloriæ animalia » ;¹ neque Platoni, neque Aristoteli parcitur. ¶ Tempore Litterarum Renatarum aliquid novi apparuit : cultus per Medium Ævum traditus mancus visus est, quare humanistæ, qui dicuntur, fontes huius cultus exquirere et investigare voluerunt ; hæc veritatis detegendæ cupiditas ad naturæ explorationem paulatim extensa est nec cohiberi potuit, usque ad tempora nostra. ¶ Is, qui infinitum minimum vel infinitum maximum scrutatur, indicibili admiratione corripitur ; ibi est verum ingensque mira-

culum, cuius scientia infimas partes detegit, amissa spe totius rei intellegendæ. Hæc est manifestatio divina omnibus patens atque incomparabiliter amplior fabulis, quibus delectabantur Antiqui. ¶ Feliciter tamen hominis animus non regitur sola ratione ; amor sæpe rationem superat ; præterea plerique homines amant mythos, quod non est neglegendum. Ceterum numquam dixi neque carmina neque Sacra Biblia esse delenda, sed solum accipienda cum grano salis. ¶ Autumas cultum occidentalem corrue. Certe tecum doleo, quod partes nostri cultus hodie negleguntur, attamen non partes sed totus cultus est perpendendus ; cuius cultus hodiernus status, si eum comparamus cum eo duodecimis vel undevicesimi sæculi, certe melior est. ¶ Ad amicum Wolfgangum nunc venio. Res, quas tractavi in symbola « Deo capto » inscripta, tibi visæ sunt inter se minime cohærere. Filum ergo dilucidius ostendam, quod est feminæ status in societate humana. Narratiuncula initio facta monstrare volui effectum religionis mahumetanæ in adulescentium habitu. Non enim agitur de petulantibus adulescentibus, qui omni tempore exstiterunt, sed de modo agendi mahumetanorum ; eorum religio vitam socialem stricte regit ; imponeit segregationem viri a muliere atque mulierem abscondit ; inde fit ut adulescentes societate feminina egentes male se gerant cum feminis libertate fruentibus. Cogita de motu in Francogallia orto et nunc in Belgica instituto, cui nomen « Neque meretrices, neque subactæ ». ¶ Aliud detrimentum huius religionis est coercitio populi ; inde fit, inter alia, ut cuncti conclamant, instigante aliquo duce. Mahumeti gryllos memoriavi ; fortasse addere debui, hoc gryllorum inceptum institutum esse tamquam certamen, quia nullus artifex in Dania se præbebat ad librum de Mahumeto imaginibus illustrandum, perspecta mahumetanorum vindicandi cupiditate. Eandem vindicandi cupiditatem recentius vidimus cum papa ausus est quædam verba historicæ in memoriam revocare. ¶ Timor mahumetanorum se in regiones occidentales insidiouse insinuavit, propter eorum arrogantiam violentiamque. Exempla singularia sunt in omnium memoria, quorum unum e recentissimis datum est a curatoribus theatri melodramatici Berolinensis, cum exhibitiones melodramatis Idomenei suppresserunt, quod ille Cretæ rex in sella deponeret capita Iesus, Buddhæ et imprimis... Mahumeti ! ¶ Origo mahumetani populi frustrationis manifesto est in religione, cum non defuerint opes ex petroleo natæ ; frustratio gignit invidiam et invidia odium in triumphantem cultum occidentalem. Lamentabile spectaculum habemus Iraquianorum, qui cottidie a suis ferocius trucidantur propter parvas religiosas dissimilitu-

dines. Recordemur tamen oportet idem olim factum esse in orbe christiano atque religionem christianam fere eodem modo ac mahumetanam diu rexisse vitam socialem : viro inferior habebatur femina, quamquam multo maiore reverentia tractabatur, quam apud mahumetanos. In Belgica delictum blasphemiae solum ab anno 1831 in iure sublatum est. Propter diuturnam vehementemque pugnam contra christianismi dictataram gestam, hæc religio nunc facta est res privata, sed reverenda. ¶ Placent verba quæ Cardinalis Danneels, Belgicæ primas, Antverpiæ die 23 m. Septembris anno 2003 coram ducentis circiter Iesuitis protulit ; dixit autem inter alia hæc : « Pax Augustoburgensis principibus potestatem dedit suam religionem suo populo imponendi. Revolutio Francogallica Europam sanavit tollendo hanc monolitham conceptionem. Ab anno 1789 unicuique licet suam identitatem libere compone-re. » Alia de Islamo : « Quæstio Islami Europæi vitari non potest atque urget. Est tamen quædam islamica forma, quæ cum mente Europæa congruere non potest ; agitur de forma monolitha, ubi religio, fides, cultura, lingua, sistema iuridicum et politicum, nec non potestas militaris indissociabiliter coniuncta sunt... In nonnullis circulis academicis Marocianis, exempli gratia, mahumetani suam ‘Revolutionem Francogallicam’ fecerunt, qua religio separatur a politica et cultura. Nisi valemus idem in Europa efficere,

vitæ condiciones fient perdifficiles. Una est via ad hunc scopum adipiscendum, educatio. »² ¶ Quis negare potest hellenismum libertatem cogitandi respexisse ? Ciceroni licebat de omnibus philosophorum cogitationibus libere disputare ; contra, christianismo victore, opera contradictorum combusta sunt. Celsi tamen obiectiones adhuc valent. ¶ Ciceronis tempore, viri soli de rebus seriis inter se diputabant ; feminæ vitam politicam directe non participabant. Vicesimo sæculo cultus occidentalis novum gradum ascendit, cuius pondus nondum plane perceptum est. Feminæ factæ sunt arbitræ procreationis atque accesserunt ad plenam æqualitatem iuridicam et politicam. Hoc solum fieri potest in societate, ubi vires corporis, quæ apud virum præcel-lunt, cedunt intelligentiæ, quam natura viris et feminis æquabiliter tribuit. Cedant arma togæ, aiebat Cicero ; dicamus nunc : cedant armi intelligentiæ ! ❁

Gaius LICOPPE

1. Tert., *Anim.*, I.

2. Hæc verba publicata sunt in : « Le Vif L'Express » n° 41, 13-19 Oct. 2006, p. 44-45 sub titulo : « Le Cardinal Danneels souhaite un Islam des Lumières ».



In nimis multis mundi regionibus adhuc sœvit armus stultitiae ; bic, in Indonesia, iuvenis femina verberatur quod commercium illicitum babuit cum amico suo. Imago divulgata in diario « Le Monde » d. 5 Aug. 2006.

DE ITINERE MEO ALEXANDRINO

- *scripsit Ladislaus Dolidon -*

Iam multa, optime lector, de magnis viatoribus legisti latque audisti, qui gestis miris se honestarunt. Quid igitur, inquies, quidnam coram me de te ipso narrare audes, qui nec piratis nec prædonibus occurris, nec procellis naufragiisve superfueris, immo qui terras iam notas transieris ? Quid facinus istud tuum dignum sit auditu ?

At, respondebo, illi universi exploratores eximii, novarum semitarum indagatores, ipsius mortis provocatores, tanta inciderunt in pericula ut ne unus quidem superstes redierit, qui nobis itinera sua ipse narraret. Evidem, pro minoribus periculis, vitam servavi, ita ut hodie apud te iter meum enarrare possim.

Narratiunculam meam te boni consulere nequeo iubere ; precari audeo ne consulas pessimi.


Anno bis millesimo primo exeunte, cum stipendia emeritus essem (nam inter ultimos fui adulescentes Gallos qui arma ceperint), mihi pæne integer maximæ libertatis annus supererat, antequam primos alumnos meos curarem. Mensibus autem illis longam peregrinationem suscipere cupivi, quod postea, propter temporis inopiam, difficilius esset, tunc vero facillimum. Nam semper iter verum perficere volueram – cum dico verum, hoc est nulla aerinave, nullo tramine, nulla ræda adiuvante : hominis parvuli per immensum

orbem perambulationem, tardam, acriorem nonnunquam, semper cum hominis parvitate consentaneam. Talium enim itinerum sublimitatem iam expertus eram, qui pedibus aut birota nonnullies centenas iam cucurreram parasangas, præcipue per Galliam. Quæ libertatis veritatisque sublimitas una cum sudoris, tarditatis, incommodi humilitate optime coniungitur. Quid sit enim iter sine difficultate, sine tempore, sine fortunis improvisis ?

Proficiscamur igitur birota : nam mihi facultatem præstabat satis celeriter, satis tarde progrediendi. Eligenda est denique meta. Locum ubi me non iam domi esse plane intelligam petere volo ; mare autem nostrum me allicit, necnon Imperium Romanum, quod emetiri cupio : per Romanorum Græcorumque prædia viam faciam, usque ad scripturæ cunabula, usque ad Mesopotamiam.

Si licebit, etiam εἰς τὸ πέραν transire velim, alteram in maris ripam, in Ægyptum.

Longissima fuit paratio : birota apta, dum pecunia non tantum redundo, invenienda ; sarcinæ compонendæ, nec quicquam prætermittendum ; inquisitiones nonnullæ agendæ de terris quas transiturus sum, de ventis qui unoquoque anni tempore eas verrunt – nam venti birotæ aut summi amici aut pessimi inimici esse



queunt ; genti denique atque amicis valedicendum, nam in sex menses profecturus sum.

Tandem, die quodam mensis Februarii, paulo ante solem occidentem, paratus sum. Sub vesperum vero mater et prudentia ut domi maneam hortantur, ut die posteriore, bene mane, post iucundam noctem feliciter abeam. Sed per tot dies me paravi, per tot dies hanc horam tristiorum exspectavi eandemque magnificam. Non est hæsitandum. Nunc abeundum.

Celeriter ad vicinos eo, apud quos ludit fraterculus meus, octo annos natus, cui valedicens meas lacrimas represso. Et in viam me præcipito, quæ campos bene notos, silvas haud ignotas transfigit. Nam hac ipsa via avum aviamque birota iam pluries invisi, apud Turonos – quod legioni Romanæ octo vel decem dierum fuisse iter, at birotæ opera diei unius – ; hac quoque via Galliam meridianam eodem modo consecutus sum. Verum hodie, dum primas noctis caligines transeo, scio illam ipsam semitam ducere per Galliam et Italiam, Græciam et Turciam, Syriam, Iordaniam, Ægyptum, usque ad alteram ripam, usque alias homines, alias terras, alia cæla, Alexandria tenuis.



Dimidia autem Gallia transita, ecce iugum primum, in monte Iura, non altum, sed via nive oppido cooperata, ut birota ascendere non possim, eamque per nives ac nebulam aliquot chiliometra trahere debeam (quæ sardinis instructa quinquagena chiliogrammata pendebat – nam domus mea tota in quinque saccis inclusa erat, in sex menses : imprimis instrumenta mechanica ad equum meum reficiendum, dein tabernaculum, orbis descriptiones librique, vestis hiemalis, cibi non-nulli, aqua) ; partem autem birotæ anteriorem tunc expedieram binosque saccos sustuleram, quo facilius in nive traheretur. At unica quam pedibus ascendi acclivitas fuerit (nam una mihi lex : in birota sedere).

Paucis post diebus Alpes supero – contigit ut nix e stratura remota esset –, noctu usque ad iugum vulgo dictum *Lautaret* ascendendo. Non parvam enim



itinoris partem sub stellis habui – nam noctu fere omnes, præter lupos ac prædones, dormiunt, quibus alteris di dignum factis exitium duint, alteris noctem optimam exopto, dum mihi uni est via, nec identidem singulis sicilicis vitanda sunt vehicula. Quare pace fruor maxima, et per terras etiam insolitiores, propter tenebras lanterna mea vix repulsas, iter carpo.

Qua ascensione perfecta, de tertia vigilia, nullum summo in iugo devessorium commodius invenio quam tabernaculum meum ; nam illuc me caupo libentissime qualibet hora accipere solet, mihiq; cubiculum ex quo prospectus in montes late patet aperit. Tabernaculum autem elegeram, quod satis pateret ut et viatorem et iumentum capere posset : quo birota ab imbribus et nivibus et furibus defendebatur. Cum vero ipsa sarcinæque intra iacebant, id tantum supererat loci quo mihi opus erat.

Post nonnullas autem in nivibus noctes frigidas easdemque optimas, de iugis in Italiam descendo et ad mare Inferum ; deinde, Appennino humili transito, ad Superum advenio præter quod in meridiem versus tendo. Quot tum Itali humanissimi occurrentes ! Quorum catalogum evolvere totum nequeo : fuit enim Maurus ille qui, dum famuli in popina quadam munere fungitur, me hospitem accepit hospes, tantaque libertate quanta ego uti avebat – sic multos illis mensibus me animo comitatos esse sensi – ; fuit Laurentius, agricola qui in agro suo mane me invenit dormientem ac paterna cura expergefecit ; Margarita, puella, dum in prato florifero solus edo, domo summo ex colle ad me descendisti, ignotissimo secundas afferens mensas ; pistricem quoque memorabo iuniorem, quæ in involucrum cum pane meo nesciente me dulcia absconderat, nec non reverendissimum dominum Ælium, cuius cum urbana admodum familia Pascha rite manducavi. Quid de Italia ipsa addam ? Nam quibus iam norunt descriptione opus non est. Ergo Brundisium properemus, ubi



multos benevolentissimosque Domni Stephani, pauperis nautæ, rude donati, vix litterati, hospitii genii cuiusdam non obliviscar, qui mihi lactucas, ova, potionem Arabicam obtulit, necnon etiam rosam suam pulcherrimam, suo ipsius ex horto, offerre voluit ! Nec illa in insula cum Vlide potui clamare : ὦ μοι ἔγώ, τέων αὐτε βροτῶν ἐσ γαλαν ικάνω ; (*Od. vi, 119*) – nam illic non solum olearum tegmine iucundo meridianissimoque, verum etiam illorum hominum liberalitate delectatus sum.

Nunc demum in Epirum appuli, ac progressus per montes Græcos Dodonensem tandem pergendus est ; et ad universos hospites perfectos, summæ simplicitatis, qui montes colunt Epiroticos, commemorandos tempus deest. Monte autem superato, in Meteoris insolitam anachoretæ cellam meam mediis in rupibus præruptis tendo. Inde planitem Thessalam cito transeo et in Macedoniam intro, ubi Pascha apud orthodoxos, post catholicos Italos, iterum manducamus. Tunc sarcinorum partem, quæ ad hiemem pertinebat, relinquo, et repositoria quædam pro clitellis anterioribus fingo, quæ clitellæ infirmæ erant et semper reficiendæ. In repositoriorum vero iis anterioribus binas poteram binorum litorum lagœnas collocare – quod æstate appropinquante mox usui esset. Impedimenta autem cetera in clitellis posterioribus conlocata sunt.

Finibus Thraciis transitis, super urbem *Xanthi* in oppidulum montanum ascendo, quo sacrificio modo facto adveni. Illa enim in regione vivunt Pomachi, mahometani qui lingua utuntur Pomacha, quæ linguæ Bulgar(or)um proxima est (nam Bulgaria duabus horis, trans iugum, pedibus peti potest) ; qui omnes Turcice

navem concendam ad Græciam petendam. Cuius Græcia portam mihi aperit Corcyra, qua in insula per duas hebdomades mansi – quod me ad Syriam Ægyptumque non multo propius admovit... sed in Græcia esse, in Græcia manere, Græce loqui (quod mihi multo facilitius erat quam Italice) tantum avebam, ut libenter illis induitiis, illa quiete et terræ non ignotæ securitate fructus sim.

Inter Corcyraeos autem Inter Corcyraeos autem multos benevolentissimosque Domni Stephani, pauperis nautæ, rude donati, vix litterati, hospitii genii cuiusdam non obliviscar, qui mihi lactucas, ova, potionem Arabicam obtulit, necnon etiam rosam suam pulcherrimam, suo ipsius ex horto, offerre voluit ! Nec illa in insula cum Vlide potui clamare : ὦ μοι ἔγώ, τέων αὐτε βροτῶν ἐσ γαλαν ικάνω ; (*Od. vi, 119*) – nam illic non solum olearum tegmine iucundo meridianissimoque, verum etiam illorum hominum liberalitate delectatus sum.

quoque loquuntur (nam proximi sunt Turciæ fines, et illi, ut dixi, mahometani sunt, et cultus habitusque eorum ad Turcas pertinere videtur) ; universi denique et Græce loqui queunt, quam linguam militiæ, nisi apud magistrum, didicerunt. Ergo vir rudissimus inter eos trilinguis est...

Illic autem in nonnullos dies birotam deposui, ut libere per montes vacare vagarique possem, ut illis cum hominibus paululum vivere quirem, qui cum cultu mihi insolito humanitatem maximam iungebant. Quanto gaudio post incertum per avia cursum meum, primis se intendentibus tenebris, in illo quinque capitum viculo ab hominibus simplicis naturæ, benignitatis multiplicis, alienigena vagus ignotus vespertinus recepus sim, difficile dictu.

Ibi etiam nonnullas tabaci plantas me sevisse fateor, qui cultus labor est eorum præcipuus ; hieme vero, multi in Germaniam præsertim naves constructum migrant. At domi agros more antiquo colunt, mularum aut equorum opera, quæ animalia, ut mihi dixerunt, propter machinarum inopiam necnon magnas locorum acclivitates usurpantur. Sacrificio denique adfui, quo celebrabatur anni scholæ finis (scholæ dico coranicæ).



Nondum omnibus initis feriis, postquam ex montibus descendи, mihi obvii fuerunt alii pueri – quos delectare iter meum solitum est – ; et illi, dum birotam defessam simul magna voce canens reficio, circum me alacres ac læti saltant, posteroque die in ludum suum me invitarunt, ita ut duas fere horas cum magistro eorum una manserimus, et eis vitam meam narravi, mihi illi suam, cecinimus, delectati sumus...

Turcia ! Paulo post fines, paedagogium præterii ; accidit autem ut cuncti discipuli, eandem vestem induiti, in aula versarentur ; qui magno ad murum concursu certatim me rogarunt « *What's your name ?* » – scilicet unicam interrogationem quam sponte sua lingua extera



proferre possent, nec ego Turcice quicquam noveram, præter triginta quadragintave verba... quæ non erant multa ! Nec tamen fuit unquam multitudo triumphum agenti gratior lætiorque.

Denuo devorticulis usus sum, quia mihi, cæci Poetæ sectatori, Troiam prætermittere nefas fuisset ! Cuius in campo tres noctes dormii, sub mœnibus, sed extra teli iactum.

Pulchræ deinde calles secundum Propontida εἰς τὴν πόλιν cito me adduxerunt, in qua urbe (*Byzantibulensi* dico) aliquot dies commoratus sum ; inde rus tandem reversus, ubi multi Turcæ mihi hospitium præbent : nam vicum transire neque a senibus quibusdam invitari fieri non potest, præter viam potio nem Sericam sorbillantibus, ad poculum bibendum vel cenam integrum !

Pontum adtigi Euxinum, nunc vero per Anatoliam

iter faciam, quam Tauro Ciliciaque tenus transibo, quæ Anatolia mihi iam desertiores terras præbet amoenissimas : nam si humus etiam ibi herbas fert stirpesque paucas, oppida minus minusque crebra fiunt, sparsa magis, et sæpe sunt inter duo oppida viginti milia passuum percurrenda ; in intervallo solitudines patent quas ventus verrit, et illic mihi Fortuna secunda fuit, nam Caurus secundus, cuius opera maximis itineribus nonnullis terram transierim. Inter itinera autem in solitudine dormio, nec iam tabernaculo opus est, sed in fossam quam lubet in noctem me abscondere soleo. ■■

*Scripsit imaginesque pressit
Ladislaus (vulgo Vladislav) Dolidon
qui omnia sibi vindicat.
[cetera altero in libello sequuntur]*



DE ORBITATE LIBERORVM INVOLVNTARIA SIVE DE ÆNIGMATE PROCREATIONIS

- *propositus lector quidam Melissæ* -

Crescite, multiplicamini, et replete terram, ut legimus in Bibliis Sacris,¹ et homines sane morem gesserunt Deo, nam hodie nobiscum supra Terram ambulant circiter sex miliarda hominum et quingentæ quinquaginta miliones – sive 6.550.000.000!² Iam satis superque numerosi sumus, nonne?

Plurimi homines familiam sibi parare cupiunt. *Nam procreare liberos lepidumst opus.*³ Nihil simplicius esse videtur: quicumque sibi familiam parare cupit, uxorem sibi aut, si mulier est, maritum obtineat et vitam coniugalem vivat cum coniuge. Post nuptias ex ordine propinquii exspectant, ut post unum annum lapsum familiam intraverit infans. Infante nato vita coniugum mutatur maxime. Qui enim sine liberis vivere assuetus est, haud facile se accommodat vita cum infantibus. *Pol si habuisse, sati' cepisse miseriarum e liberis, continuo excruciaeret animi. Si ei fort' fuisse febris, censerem emori, cecidisset ebrius aut de equo uspiam, metuerem ne ibi diffregisset crura aut cervices sibi.*⁴ Etiam coniugem sibi reperire haud omnibus facile est, aliqui vitam cum coniuge eodem sexu ac ipsi preferunt, aliquæ feminæ fecundari cupiunt sed maritum sibi parare nolunt, rarius quidam viri soli sed sæpius quædam feminæ compulsæ sunt infantem solæ educare. Propter simplicitatem fingamus nunc solum agi de uxore et marito, qui familiam sibi parandi causa coniuncti sunt – et scilicet amoris!

I. De secundum naturam conceptione

Ubi vir et femina inter se coeunt tempore ovulandi feminæ, si spermatozoidorum commeatum ad ovum feminæ nihil obstruit, unum felix et victoriosum ex spermatozoidis innumerabilibus in tuba uterina feminæ aut aliquando in utero ovum intrat et fecundat. Fetus crescere incipit et post novem admodum menses infans nascitur et ita novus homo originem suam trahit. Sed haud semper res tam feliciter eveniunt.

II. Si natura fallat

Hodiernis temporibus in civitatibus occidentalibus homines ætate maturiores quam antea matrimonio coniunguntur. Hoc concipiendi occasionibus numerosis privat mulieres, quarum fertilitas, postquam natu quinque et triginta annos proiectæ sunt, sensim decrescere incipit. Idem etiam viris fit, quamvis de senibus vero etiam octoginta annos natis, a quibus feminæ fecundatae sunt, aliquando audiverimus. Sed rarissime mulieres, quæ natæ sunt plus quinquaginta annos, infantes pepererunt. Etiam maius periculum est, ne infans ab ætate maturiori matre partus laboret syndromate Down. Præter annos vertentes variæ causæ

fertilitatem viri et feminæ afficer possunt.

III. De causis fertilitatem feminæ sufficientibus
Si mulier unum annum nupta nondum est fecundata, suspicandum est aliquid impedire, quominus uxor semine mariti gravida fiat. Ovum ex ovariis aut haud omni mense aut paulisper nimis sero liberatur, quam ut embryo ad uteri endometrium affigi valeat. Tubæ uterinæ inflammatione obstrui possunt. Aliquando ovum spermatozoïda recipere recusat propter nimis crassum parietem ovi. Etiam aliquæ causæ geneticæ afficiunt, ut fecundatum ovum in utero crescere non incipiat. Ostium uteri secernit pituitam, quæ aliquando non permittit, quin spermatozoïda uterum intrent.

IV. De causis fecunditatem viri sufficientibus

Causa primaria viri infertilitatis est spissitas spermatozoidorum in spermate eius. Etiam defunctio membra virilis causarum una est, spermatozoidorum inertia etc. Si vir feminam fecundare non valet, medicus eius sperma imprimis accuratissime examinat. Singulis in millilitris saltem centum miliones spermatozoidorum existunt. Recentioribus temporibus in Europa spissitas spermatozoidorum in spermate virorum infelicititer decrescere incepit. Causa huius rei nota non est. Fieri potest, ut venena circumiectalia, quæ circum nos cottidie increbescunt, hoc efficient. Si viro in singulis millilitris spermatozoidorum minus est quam decem miliones, diagnosis *oligozoospermia gravis* dicitur. Quamvis talis vir se æque validum ac alii viri forsan esse sentiat, vix valebit tantopere mulieres frequentare, ut paucis suis umquam projectilibus contingat ovum destinatum.

V. De inseminatione

Si medicus post examinationem concludit causam infertilitatis esse nimis glutinosam uteri pituitam, spermatozoïda selecta mariti in uterum arte introduci possunt die ovulationis feminæ. Biochimista a marito traditum sperma examinat, purgat et seligit spermatozoïda omnium optima et celerrime moventia. Hæ alacerrimæ clavicipes sagittæ syringa longa per vaginam et ostium uteri in imum uxor uterum a medico transportantur.

VI. De in vitro fertilisatione (IVF)

Femina sin inseminatione non fit gravida, fieri potest, ut ovum in vitro felicius fecundetur. Hæc ratio arte fecundandi feminam dolore affligit, quod ova eius, ut in vitro fecundari possint, ex ovariis cum longa tenui tubula acuta sugi oportet. Ut efficaciter quam plurima ova ex ovariis feminæ extrahi possint, hormonis œstro-

genicis syringa per cutem innectis ovaria ei excitantur. Hac ratione in ovariis extra ordinem plurima ova in folliculis maturari incipiunt. Ut plura ova colligi possint, hormona per cutem suam femina ipsa domi iniciens excitat ovaria sua tres fere hebdomas ante punctionem. Hac ratione excitatis in ovariis aliquando etiam plus quam viginti ova reperiri possunt. Punctio est operatio, qua longa acuta tubula colliguntur ova ex ovariis feminæ. Ut facile ad feminæ ovaria perveniat, medicus parietem imum vaginæ penetrat tubula longa et acuta, qua exsuguntur ova. Post punctionem spermatozoidea a viro tradita et a biochemista diligenter selecta in fistula vitrea cum ovis ex ovariis feminæ extractis miscentur. Si omnia felicissime contingunt, omne ovum permittit, ut unum spermatozoidum intret, et ova in vitro fecundantur.

VII. De in vitro maturatione (IVM)

Omni mense 4–5 ova in ovariis feminæ crescunt, sed plerumque haud plures quam unum solum ex iis maturescit et folliculo rupto in tubam uterinam inlabitur. Quod hormona modum naturalem excedentia sæpe feminam valde commovent et perturbant, altera ratio est, qua sine hormonis feminæ procreandi organa excitantibus, exceptis naturalibus scilicet, ova colligi possunt. Ova immatura ex ovariis colliguntur ante quam unum ex iis celerius quam alia crescere incipit, quo facto omnibus collectis ovis in vitro positis liquore nutrienti maturescere permittitur. Ubi demum matura facta sunt, adest tempus fecundandi. Ova præparata multimodis in vitro fecundari possunt, sed usitatissima ratio est ICSI, de qua infra.

VIII. De intracellulari spermatozodi injectione (ICSI)
Si vir laborat oligozoospermia, longe certior ratio quam IVF est spermatozoidum directe in medium ovum introducere. Post ova et spermatozoidea collecta, optimum ovum seligitur et capitur ad os tubulæ longæ et tenuissimæ suctione capillari. Ovo ita capto alterius tenuis et vitreæ tubulæ, qua spermatozoidum transportatur, acuta cuspidé pungitur paries ovi et spermatozoidum in imum ovum initetur ubi nuclei spermatozoidi et ovi inter se conveniunt. Fortuna adiuvante materia genetica mulieris et viri coniunguntur. Si Isis et Orbona preces deinde orbitate laborantium audiunt, embryo paucas cellulas suas multiplicat et singulis diebus formam humaniorem adepturus fetus in utero paullatim augescere incipit.

IX. De donatoribus et donatricibus

Aliquando, ubi post plura conamina femina non est

fecundata, suspicandum est cellulas sexuales aut uxoris aut mariti non ad conceptionem aptas esse. Si materia genetica alterius aut utriusque parentis inepta comperta est, infeliciter nihil ulterius cum vitiosis istis cellulis sexualibus temptandum est. Adhuc tamen spes non erit perdenda, quamvis res nunc novis impedimentis implicetur. Nihil enim obstat, quin cellulæ sexuales alicuius donatoris aut donatricis adhibeantur. Ubi opus est spermatozoidea ad ovum feminæ fecundandum accipere, prima fronte nihil umquam facilius videtur quam donatorem reperire, nam lectrix mea frustra vires suas exhauriat quærens virum, qui pollice abhorreat sperma suum ad hunc finem tribuere. Dubitandum tamen est qua ratione cuiuscumque viri sperma per se sit aptum ad ovum feminæ fecundandum. Ut certiores fiamus, etiam donatoris sperma examinandum est. Optimo spermati haud enim minus quam 100.000.000 inest spermatozoidorum in millilitro, at hodie viri, quorum supellex scrotalis tantopere abundet, infeliciter singulis diebus rarescant. Simul ac plurimi viri subridentes ad libitum tradant sperma, mulieres contra, quæ sponte sua ova donent, rarissimæ sunt. Haud mirum, nam ratio viri cellulas sexuales tradendi longo a mulieris ratione differt. Viri enim suum sperma donaturi in conclavi privato seclusi spectant, si placet, cinematographicas pelliculas eroticas et nudarum feminarum imagines eroticis in libellis donec pæne parati sunt ad emitenda semina sua. Ipsi sperma suum deinde in plasticam lagœnulam infundendum curant. Mulieres contra oportet sua ovaria per vaginam pungi sinere syringæ ferrea fistillula longa et acutissima. Medicamenta autem anæsthetica a medico administrata dolorem feminæ punctioni subiectæ partim temperant, verum tamen raro omnem extinguunt. Medicus scilicet donatricem etiam in soporem immergere possit, sed hodie medici valde inviti sopiunt homines, ubi de minoribus operationibus agitur, nisi concluderint hos vigilantes operationem perpeti non valere.

X. De adoptione orborum

Manifesto medici non possunt curare omnes coniuges, qui liberos sibi parare cupiunt. Longe certior ratio quam ars medicina ad liberos accipiendo est adoptio infantium. Cum enim in civitatibus occidentalibus numerus hominum, quibus natura liberos non providet, augescit, tum vero egestoribus in civitatibus contra spem abundant ni dicam prorsus redundant liberi, qui ultra placitum et vires parentium nascentur. Nam haud raro fit, ut femina iuvenis, quæ forsitan sit invita aut ignorans gravida facta, infantem suum in orphanotrophio relinquere sit compulsa. Multæ fami-

liæ liberos adoptant sibi orbatos, infeliciter autem innumeri liberi parentibus carentes numquam adoptantur. Infans enim haud facile adoptatur in Europa. Æque leviter ac cibum in pantopolio emi non liberos posse adoptari manifestum est, sed tale inceptum qui sibi suscipiunt serio, coguntur de innumeriosis rebus se certiores facere et, quod necessarium sed fastidiosum valde videtur, tolerare modum vivendi arbitrio suum æstimari procuratorum publicorum. Consilium adoptandi publicum arbitratur, quales coniuges apti sint ad adoptandum sibi liberum. Quam ob rem liberum adoptare cupientes debent post consulendi tempus, quod per sex menses durat, licentiam adoptandi a consilio publico sibi petere officiali petitione documentis necessariis adjunctis. Iisdem enim documentis coniuges testificantur integratatem vitæ suæ, sanitatem mentis et corporis sui, statum etiam œconomicum suum naturalisque et stabilitatem relationis inter se. Mittendæ sunt declaratio sanitatis a medico scripta, declaratio integratatis a magistratu iudiciario scripta et declaratio domicilii a procuratore publico scripta. Nonnullos post menses consilium adoptandi, quod bis aut semel singulis mensibus convenit, sententiam suam cum censuerit,

Fortuna adiuvante coniugibus felicibus adoptandi licentiam permittet. Licentia accepta iterum documenta colligenda sunt nunc ad societatem liberos adoptandos curantem mittenda. Si coniuges ab externis terris sibi infantem adoptare cupiunt, hoc sæpe celerius fit quam si a patria peterent, nam in civitatibus egentioribus liberi parentibus carentes multo plures sunt quam in Europa. A prima consultatione apud procuratorem publicum ad diem, quo infans adoptivus domum arcet, exspectandum erit duos fere annos. Tum demum coniugibus dici licebit : *at illa laus est, magno in genere et in divitiis maxumis liberos hominem educare, generi monumentum et sibi.*⁵ ☩

1. *Genesis* IX:1.

2. Videte e.g. indagandi motro Google nexus : world population.

3. Plauti *Mil. Glor.* 682.

4. Plauti *Mil. Glor.* 718-20.

5. Plauti *Mil. Glor.* 703-4.

SIBI SAPERE QVI NESCIT FRVSTRA SAPIT

adagium 520

DE PVGILE INVICTO

- *scripsit Victorius Ciarrocchi* -

Die 27 Apr. 1956 Franciscus Rochus Marchegiano in conventu quodam diurnariis edocendis habito nuntiavit se veluti pugilem non iam certaturum. Is Kal. Sept. a. 1923 in urbe Brockton, quæ prope Bostoniam sita est, ex humili pauperrimaque familia Italica ortum habuerat. Quem adulescentulum id ludi genus adlexerat, quod apud Americanos « baseball » vocatur, in quo tamen exercendo se parum aptum esse ipse agnovit.

Quodam die anni 1943, dum stipendia Cardiffæ, Britannica in urbe, meret, rixa milites Britannos inter et Americanos exorta, commilitonem quendam uno pugno Rochus prostravit. In Patriam reversus ac fame impulsus, palæstras obire pugilatorias cœpit et certamina participare, quorum e non paucis, siquidem regulas athleticæ disciplinæ illius non observaverat, summotus est antequam certamen quodlibet concluderetur.

Carolus Goldman, celeberrimæ tunc palæstræ Novoeboracensis moderator, olim dixisse fertur : « Neque robustiore est corpore Rochus neque statura procera ; accedit quod crurum agilitate caret ; at humilis est et operam navat indefessam et, quod plurimum, non manibus præditus, sed clavis instructus videtur esse ». Recte quidem Carolus ille, qui intrepidos pugiles ictu oculi ab ignavis distinguere valebat.

Nam ex anno 1948 Rochus, cuius nomen gentiliū nuntiator quidam in « Marciano » mutaverat, adversarios magis magisque validos in ea vicit pugilandi classe, quæ « maximi ponderis » dicitur. Pugilibus, qui ob corporum mensuras huic inseruntur classi, vis ac potentia est immanis ; atque si eorum certamina secundum regulas constitutas præliantur, mirum non est quod pugilatum « artem nobilem » plerique appellaverint. Nullo enim in alio athletarum certamine tanta animi corporisque contentio patefieri solet, quantam in binis deprehendas pugilibus, qui, sonitu cymbali reddito initium uniuscuiusque congressionis indicante, e suggestu fugere nequeunt et pugnare coguntur vitando adversarii pugnos, dum alterum quisque ferire contendit.

Si quis præterea historiam omnium ludorum investigare voluerit, pugilatum antiquissimum esse is haud dubie intellegebit, quoniam prima luctandi forma in eo est, ut alter alteri pugnos impingat. Nihilominus inter duos pugiles, qui vel asperrime pugnaverint, raro eam rabiem invenias perdurantem, qua certamina alias generis sæpe inquinantur adeo, ut athletæ odio, non certandi solum ac vincendi animo, incensi esse videantur.

Cuius quidem rei documentum fuit Rochus ipse qui, etiamsi numquam nihilque intentatum reliquerit

ut adversarios prosterneret ac pugnos iactaret pæne mortiferos, tamen, certamine pugilatus confecto, non semel coram adversario se excusaverit : postquam enim pugilem Italum Americanum nomine Carmen Vingo, validum quidem adversarium, in sexta certaminis congressione pugnis violentissimis adeo verberaverat ut Vingo ad Rochi pedes sanguinolentus ac semianimus iacuerit idcirco in valetudinarium adduci necesse fuerit, hunc multos per dies pæne moribundum Rochus sæpe invisit, pecuniam ad ipsum curandum necessariam solvit atque adiuvit tam amicaliter, ut Carmen, qui demum convaluit sed quin pugilatum denuo exerceret stricte a medicis prohibitus est, omnibus aliis Rochi certaminibus semper gratulabundus adisset.

Postea in « Horto Quadrato Madisoniano » sive « Madison Square Garden » – ædificio Novoeboracensi, quod pugilatus templum non immerito æstimabatur – Rochus victoriā reportavit ab Iosepho Louis, qui ex annis præteriti sæculi trigesimis usque ad quadragesimos pugil fuerat summus et duodecim annos titulum ponderis maximi primarium servaverat. At nihil contra Rochum potuit Iosephus, quocum ille post certamen confectum colloquens in apodyterio lacrimans dixit : « Te sicut huius artis exemplum imitandum ego adulescentulus sum admiratus ».

Alii pugiles perinsignes Rochum provocarunt spe fisi fore ut aliquando et ipse in suggestus tapete ita prosterneretur, ne in posterum umquam somniaret se eam gloriam adsecuturum, qua solum certator omnium pugilum princeps dignus sit. At illos fugiebat quo animo Rochus præditus esset, utpote qui eo magis viribus polleret quo robustiores essent adversarii. Quorum summi fuerunt Jerseus Iosephus Walcott et Ezzardus Charles.

Vespere diei 23 Sept. 1952 cum Walcott certavit Rochus cui in prima illius prælii congressione accidit quod numquam antea passus erat, scilicet fulmineo ictu Jersei attactus est atque in tapete cecidit. Usque ad tertiam decimam congressionem Walcott, cui optima erat pugilandi ars atque crura tam agilia ut « panthera » cognominaretur, in certamen illud dominatus est ; e contra anhelavit Rochus, dum e lævo supercilium graviorer vulnerato copiosus fluit sanguis. Nihil huic pugili tunc restat nisi ut, etsi sub pugnis celerrime ab adversario iactatis, hunc vigilantissimum tandem ferociter appetat : dum brevissimo temporis puncto Jerseus ad restes retrocedit, forsitan quo melius pugnos terribiles suos iterum in Rochum iactet, hic adversarii faciem ictu dextero tam forti verberat, ut ille cadat seseque e tapete sublevare non queat. Frustra post octo menses

reddita est Jerseo iterum certandi potestas, quoniam is prima in huius certaminis congreessione prostratus est.

Etiam cum Ezzardo bis anno 1954 præliavit Rochus, qui bis victor evasit ex illo adversario, cui eadem erat atque Rocho vis et animus resistendo ferreus. In altero certamine nasus Rochi tam fortiter vulneratus est, ut circiter quadraginta suturæ necessariæ fuerint ne totus nasus amputaretur.

Ex illis interea nummatis pugilatus certaminibus pecunias ingentes fecerat Rochus, quibus non prodige, ut aliorum pugilum fuit mos, ipse usus est, quoniam et veteris paupertatis haud oblitus et patrimonia cumulandi tam avidus fuit, ut nullius exhibitionis particeps esset, nisi antea sibi magna dollariorum copia a spectaculorum moderatoribus promitteretur. Alia huius viri cupido seu forsan nimia libido fuerunt feminæ, quas ille etsi uxoratus avebat adulescentulas nec umquam cum ipsarum eadem bis iacere solebat.

Post autem certamina supra memorata aliis pugil idemque fortissimus, Archibaldum dico Moore, qui etsi titulo « medii maximi ponderis » honestaretur, tamen Rochum, iam triumphali corona maximorum ponderum decoratum, provocare non timuit. Die 21 Sept. 1955 in stadio Novoeboracensi « Yankee » appellato habitum est illud certamen : Archibaldo, quamquam duos et quadraginta annos nato, tam ingens erat etiam-tunc pugnorum vis, ut Rochus ter quaterve violentissime ictus sit atque miserrime conciderit. At statim se sublevavit et, veluti leo in furorem actus, crebriore ictuum grandine adversarium oneratum contudit adeo, ut congreessione nona Archibaldus cedere sit coactus.

Quinquaginta igitur abhinc annos Marciano nobilem pugilatus artem exercere desit : gloriam, laudem, divitias sibi comparaverat, quas nullus alias pugil ne somniavit quidem. Sed homines nimis fortunatos quædam deorum premit invidia, si Herodoto fides est præstanta. Nam pridie Kal. Sept. a. 1969 Rochus, qui cum familia urbem Fort Lauderdale, quæ in Civitate Floridensi sita est, inhabitat, uxorem Barbaram ex urbe Chicago telephonice compellat dicens se noctu domum perventurum ut die insequenti annum quadragesimum sextum celebret, quia antea cuiusdam exhibitionis particeps esse debeat. Exhibitione confecta, hora sexta postmeridiana Rochus, Franciscus Farrell, Glennus Belz parvum aeroplanum ascendunt, quod a Glenno, volatus imperitiore, gubernatur. Turbida est cœli temperies : ut nubes vitarentur, aeroplanum nimis demisse volat ; quare in queretum cuiusdam agri Iowensis adliditur. Nemo superstes. Rochum subsellio adnexum invenerunt, sicut decuit virum, qui in munere suo explendo numquam locum, quem sibi sors tribuisset,



*Rochus Marchegiano sive
Marciano (imago sumpta
ex interretiali Encyclopædia
Wikipedia).*

reliquerit ; utique pugilem, qui in undequinquaginta certaminibus pugnavit, e quibus victor semper discessit, ac ter quadragies adversarios humi prostravit eorumque impetus adeo sustinere valuit, ut iure meritoque « Arx » appellaretur et sicut pugil invictus, quem mors una vicevit, hac nostra quoque ætate commemoretur. ■

IN TARTARIAM (IV)

- *scripsit Francisca Deraedt* -

Relecto principe Scatataj ecce Guillelmus de Rubruc in Alanos incidit, Christianos quidem secundum ritum Græcorum, non tamen, ut ipse annotat, schismaticos, sed plane ignaros omnium rerum « quæ spectant ad ritum Christianum, solo nomine Christi excepto ».¹ Hi Alani eum hospitaliter accipiunt invitantque ad cibum participandum ; bona fortuna, cum viatoribus vix quicquam supersit esculent : « Nisi fuissest biscoccum quod habebamus et gratia Dei, forte fuissemus mortui ». Est tamen vigilia Pentecostes, itaque Guillelmus, etsi famelicus, respondet sibi carnem comedere non licere. Pentecoste ? Quid sit hoc, isti homines nullo modo sciunt, gratoque animo monachi auscultant explicationes. Quibus auditis, statim oritur sollicitudo quædam : ipsi Alani, et alii harum regionum Christiani, qui cosmos² bibunt, qui carnes edunt ab infidelibus Sarracenis interfectas, qui tempora ieiunii nesciunt, possuntne tamen salvari ? Monachus eorum animos pacare conatur, « docens et confortans eos in fide ».

Postero die iam præbetur occasio euangelizandi. Advenit enim quidam Sarracenus, quem de fide amplectenda monachi statim aggrediuntur. Nec sine successu, initio saltem : nam ille vir « audiens beneficia Dei exhibita humano generi in incarnatione et resurrectionem mortuorum et iudicium futurum et quod ablutio peccatorum esset in baptismate, dixit se velle baptizari. Et cum pararemus nos ad baptizandum eum, ipse subito ascendit equum suum, dicens iturum se domum et habiturum consilium cum uxore sua ».

Aliquatenus mirum videtur homines tam feros uxoria uti prudentia. At quidquid id est, postero die Sarracenus ad monachum revertit declaravitque se nullo modo « audere recipere baptismum », ea sola de causa quod sibi tum non iam liceret cosmos bibere, « et sine potu illo non posset vivere in illa solitudine ». Hæc enim erat persuasio Christianorum, qui ibi vivebant, Deum cosmos improbare, « a qua opinione », scribit monachus, « nullo modo potui divertere eum ».

Guillelmus eiusque comites viam resumunt ad orientemque versus pergunt, « nihil videntes nisi cælum et terram et aliquando mare ad dexteram, quod dicitur mare Tanays ».³ Ibi quidem solitudines peregrinatoribus potiores videntur habitatis regionibus, cum incolæ se maxime fastidiosos et rusticos præbeant. Præterea monachus eo magis afflictatur quod, quotienscumque istos barbaros conatur verba sancta docere, interpres officium renuit, inscitiam prætexens. « Et verum dicebat. Ego enim percepí postea, quando incepi aliquantulum intelligere idioma, quod quando dicebam unum, ipse totum aliud dicebat secundum quod ei

occurrebat. Tunc videns periculum loquendi per ipsum, elegi magis tacere. »

Tandem aliquando flumen Tanaim, Asiæ limitem, quod Guillelmus dicit esse « tantæ latitudinis quantæ est Sequana Parisius », transeunt, neque hoc quidem commode fit, cum dissensio oriatur de bestiis transvehendis. Nil simplex in tali itinere. Flumine triaecto, aspectus rerum naturæ mutatur. « Regio ista ultra Tanaim est pulcherrima, habens flumina et silvas. » Ibi habitat princeps Sartach, cui monachus tradere vult litteras a rege Ludovico IX conscriptas. Eius castra die 31 m. Iulii a. 1253 conspiciuntur, post iter trium mensium.

Sartach est vir amplus : sex habet uxores et bigas fere ducentas. Inter eius familiares est quidam nestorius, vir nonnullius ponderis, nomine Coiac, cuius officium pertinet ad nuntios accipiendo.

Talem virum suam decet præstantiam ostendere. Itaque primum curat ut Guillelmus de Rubruc eiusque comites diu exspectent. Tum, transacto tempore sufficienter longo, eos vocari iubet. « Stetimus coram eo, et ipse sedebat in gloria sua, et faciebat sonare citharam et saltare coram se. » Monachus finem legationis suæ exponit veniamque petit, quod paupertatem voto amplexus nullum donum pretiosum affert. Magnum virum etiam decet mansuetudinem profiteri : itaque Coiac respondet se nulla re egere, e contrario, se dona eis libenter donaturum esse. Paulisper colloquuntur, denique discedunt.

Postero die Guillelmus ad eum mittit lagœnam vini muscati⁴ et copinum biscotto plenum, « quod ei fuit gratissimum ».

Coiac demum mandat ut litteras afferant et instrumenta sacra et vestes et libros.

Quæ omnia explicanda sunt sub oculis multorum Tartarorum in equis circumstantium. Coiac pretiosas vestes admiratur atque eas mox exigit ut dona suo domino danda. Monachus tunc expavescere incipit. Cauta tamen timorem dissimulans, respondet has vestes esse sacratas, nemini licere eas tangere, nisi sacerdoti. Tunc iubetur eas induere, antequam dominum conveniat. Quod fit : « Ego indutus pretiosioribus vestibus, accepi in pectore pulvinar quod erat valde pulchrum, et bibliam quam dederatis⁵ mihi, et psalterium pulcherrimum quod dederat mihi domina Regina, in quo erant picturae valde pulchræ. Socius meus accepit missale et crucem. Clericus indutus superpelliceo⁶ accepit turibulum. » Sic ornati ducuntur ad domum principis Sartach. Ante ostium genua sunt flectenda, ac diligenter cavendum est ne limen domus tangant, quod esset sacrilegium.

« Tunc ingressi sumus cantando : Salve regina. »

Intus sedet Sartach cum uxoribus suis. Ei traditur imprimis turibulum, postea psalterium, biblia, crux. Sartach omnia diligenter inspicit. Imago, quæ est in cruce, ei non est nota ; nestoriani enim nulla imagine uti solent. Itaque mirandum non est, quod interrogatum sit imago Christi. « Respondi quod sic. » Guillelmus ei tunc dat regis litteras, una cum translatione Arabica et Syriaca, quam in urbe Accon⁷ curaverat conficiendam. Scribæ vocantur, qui interpretationem faciant, dum Guillelmus et eius socii discedunt.

Postero die incipiunt molestiæ. Coiac eis nuntiat regem Francogalliae bona quidem verba ad dominum suum scripsisse, superesse tamen quasdam difficultates, propter quas princeps nihil statuere audeat sine consilio patris, Batu nomine. Ad illum ergo esse eundum. Bigas autem, in quibus essent vestimenta et libri, ibidem esse relinquendas. Ceterum magna patientia et humilitate utendum esse. His auditis Guillelmo, qui iam antea suspicatus erat istius viri cupiditatem, saltem solacio est quod biblia et Sententias⁸ et nonnullos alios libros sibi caros pridie celavit in alia biga. Infeliciter tamen « psalterium dominæ Reginæ non fui ausus subtrahere, quia illud fuerat nimis notatum propter aureas picturas quæ erant in eo ». Vestimenta pretiosa vi arripiuntur. Monachus interea deliberat quid re vera dixerit interpres, cui nullam habet fidem.

Longe abest ut iter Guillelmi de Rubruc, quod putaverat hic apud principem Sartach conclusum iri, sit finitum. Multum timentes Rutenos, Hungaros et Alanos, qui quemcumque noctu inveniunt interficiunt, viatores nostri paulatim pervenient ad flumen Etiliam,⁹ « quadruplo maius quam Sequana », quod « crescit in æstate sicut Nilus Ægypti ». Ibi, in orientali ripa fluminis, ubi in mare Caspium influit, castra posuit princeps Batu, pater principis Sartach, oriundus e stirpe Chingis Chani. « Et miror quis diabolus portavit illuc legem Machometi », indignatur monachus.

Batu est filio multo potentior, eius aula est maior, eius auctoritas terribilior. Viatores monentur non esse loquendum antequam ipse princeps præcipiat, respondendum breviter. Ad eius tentorium ducuntur, ante quod aliquamdiu exspectant, pedibus nudis capiteque aperto, « et eramus spectaculum magnum in oculis eorum ». Tandem introducuntur ; tentorium intrant recitantes « Miserere mei Deus ». Princeps sedet in magno throno toto deaurato ; a sinistris sedent eius uxores, a dextris quidam viri. Multa conspicuntur vasa aurea et argentea. Batu eos diligenter inspicit, « et nos eum ».

Princeps præcipit ut loquantur. Sed antea genua sunt flectenda. Monachus unum tantum flectit, cum

Batu homo sit, non deus. At ille nutu significat ut utrumque genu submittat, « quod et feci, nolens contendere super hoc ». Incipit tum exhortatio ad Deum colendum : nam Deo, explicat Guillelmus, princeps debet omnes possessiones suas, quæ re vera nihil sunt adversus bona cælestia ; atqui « cælestia non habebitis nisi fueritis christianus. Dicit enim Deus : Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur. »¹⁰

Ad hæc verba Batu subridet, dum tota corona plaudit et deridet. Sermo tunc transfertur ad Ludovicum ; nam princeps, qui audivit Francorum regem ad bellum profectum esse, scire cupit contra quos arma moveat. « Contra Sarracenos violantes domum Dei Ierusalem », respondet monachus. Batu eum tum invitat ad sedendum et – honos maximus – cosmos offert. Guillelmus, qui sedens ad terram despicit, iubetur caput tollere, propterea quod apud eos facies tristis aut cogitabunda habetur pro malo omne.

Denique, postquam e tentorio exierunt sententiamque principis paulisper exspectaverunt, renuntiatur Batu non posse de hac re solum statuere, Mangu esse interrogandum, magnum Tartariæ Chanum ; quem Guillelmus solus audeat una cum interprete, cum duo alii ad Sartach revertantur ibique redditum eius exspectent. Peregrinatores ne dividantur obsecrant ; hoc solum obtinent, ut duo sacerdotes cum interprete profiscantur, solus clericus ad Sartach redeat. Multis lacrimis effusis, viam iterum aggrediuntur. ■

(Continuabitur)

1. *Sinica Franciscana*, Vol. 1, *Itinera et relationes Fratrum Minorum saeculi XII et XIV*, ed. A. Van den Wyngært, Firenze, Quaracchi, 1929, p. 192 sqq.

2. I.e. lac equinum fermentatum, vide Melissam 134 p. 9.

3. Hoc est Palus Mæotis, vulgo mare Azof.

4. Muscatum sive muscatellum est vinum apianum, Fr. *muscat*, cf. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediae et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, V, p. 555.

5. I.e. rex ipse, nam relatio ei est dicata.

6. Superpelliceum est tunica sacerdotalis, cf. du Cange, *op. cit.*, VII, p. 666.

7. Saint Jean d’Acre.

8. Libri IV Sententiarum Petri Lombardi.

9. Sive Rha, i.e. Volga.

10. *Marc.*, 16, 16.

DE NOVIS LIBRIS

Ilias Homeri Latino carmine reddita, interprete J.P.J. Lallier, Parisiis, J. Lecoffre, 1866.
Odyssea Homeri Latino carmine reddita, interprete J.P.J. Lallier, Parisiis, J. Lecoffre, 1867.

Inter novos libros placet etiam veteriores memorare, præteritasque doctorum lucubrationes laudare. Melissæ lector quidam fidelis ad nos nonnullas paginas misit illius Iliadis Odysseæque Latinæ, in quam translator triginta fere annos incubuit. Cum hoc opus in bibliopolii invenire non multis nostrum contingere possit, ecce, lector, tibi nonnulla proponimus degustanda.

Præfatio Iliadis est Latine conscripta, ea Odysseæ Francogallice, quamvis uno tantum anno post sit edita. Legamus ergo potius priorem, in qua rationes huius versionis explicantur :

« ... Nulla autem lingua mihi Latina pulchrior visa est, aut Græcæ magis consona, aptiorque, vel quæ redere posset fidelius quidquid in verbis suavitatis, nervorum, elegantiæ, concisæ brevitatis, et in rebus severæ maiestatis inesset ac simplicitatis antiquæ. Si qua vero Numini Divino nimis iniuriosa, rectæ rationi contraria, moribus periculosa occurrerint, ex iis quæ vel ethnicus noluerit interpretari, quæ Plato rigide damnaverit, hæc citius, ceu Charibdis scopulos infames, ceu pestiferam Circes insulam homines in porcos mutantis, ceu canoras sirenū voces, blandam mortem et dulce venenum afflantium, clausis oculis auribusque prætercurri. Quibus, et cunctis huiusmodi, lectoris, meique ipsius, et præsertim adolescentium reverentia prætermisis, monumenta illa poeticæ vetustatis, præceptis ac leporibus plena, magnis sublimibusque referta, humanæ mentis fastigium, summo cultu prosequor.... »

Et primos utriusque operis versus :

« O dea, Pelidæ iuvenis cane, musa, furorem Funereum, Graiis peperit qui mille dolores Insignesque animas multorum detulit Orco Heroum, canibus tradens tot corpora prædam Alitibusque feris : nam sic Iovis ira volebat : Ex quo coeperunt discordem assurgere in æstum Atrides regum rex et divinus Achilles. »

« Consiliis fœtum, captæ post funera Troiæ Errantem cane, Musa, virum. Terraque marique Iactatus, mores multorum vidit et urbes, Et mala longa tulit, sibi dum comitumque saluti Invigilat, patriis quos reddere nititur oris. »



Christian LAES, *Kinderen bij de Romeinen[:] Zes eeuwen dagelijks leven*, Leuven, Davidsfonds, [2006], 343+(1) pp. ill. – ISBN 90-5826-393-2.

Opus hoc, Batavorum lingua expedite conscriptum, plus quadraginta et trecentis paginis absolutum, de liberis, vel pueris,¹ apud Romanos disserit sex complectens vitæ quotidianæ sæcula, ab anno circiter ducentesimo a.Chr.n. ad tertium fere post Christum natum exiens sæculum.² Huius libri auctor, vir doctus Christianus Laes, in Academia Lovaniensi in puerorum præcipue apud anticos condiciones incubuit diu, cuius studii alius est liber testimonium, ante aliquot menses in his fasciculis laudatus.³

De puerorum autem apud anticos condicione, deque eorum vita qualiscumque fuerit vel fingi possit quotidiana, aliove definito huiuscemodi argumento, si quis disserere contendit atque investigare, non mirum quod statim auditoris vel lectoris mentem subit dubium difficultatesque et quæstiones oboriri videntur variæ eademque haud leves, cum adeo vastam complectatur provinciam, adeo multiplicem neque raro instabilem fontium copiam et perquam varia rerum hominumque componat adjuncta, adeoque latum temporis percurrat intervallum, ut vix uno conspectu, vix una posse complecti ratione videantur. Quas quidem non ignorat difficultates scriptor noster et fuse tractat capitulo quod est de ipsius libri atque investigationis peragendæ via rationeque sub operis finem subiunctum.⁴

Primum autem operis capitulum⁵ argumenta quædam generalia amplectitur atque adumbrat, veluti qua-

lis fuerit antiquis vitæ exspectatio, qui fere puerorum fuerit plurimus minimusque numerus, quæve intercesserit inter grandiores et iuniores necessitudo, quo modo quave ratione familiæ vixerint ruri, in oppidis, in Urbe, quid denique hæc rerum ratio ad concordiam et pietatem inter coniuges contulerit.

Secundum capitulum⁶ de prima pueritia agit, multis ex titulis et scriptoribus allatis testimoniis : de partu eiusque periculis (nam bini ternive tantum ex senis liberis, quos circiter pariebant matres, superesse solebant), de obstetricie, de nutrice, de parentibus eorumque de liberis ademptis spe decepta atque tristitia ; quid denique antiqui scriptores de pueritia atque æstatum computatione tradiderint.

Tertium capitulum scholam⁷ tractat ; quid pædagogi, quid ludi magistri, quid grammatici officium fuerit atque munus, quid et quantum quoad puerorum institutionem inter antiqua et nostra tempora intersit dilucide explanatur : non enim, quod nobis sanctum est, eiusdem fere ætatis pueros una tractare, neque certa ratione et argumentorum ordine neque in auditoriis scholis tantum destinatis iisdemque aptis et variis instrumentis instructis discipulos docere, neque ludi magistros ipsos et grammaticos ad docendi peritiam satis publiceque instituere mos erat, ut vix mirandum sit quod quinæ denæ tantum puerorum centesimæ partes imbutæ litteris evaserunt.

Quatum capitulum de pueris opera obeuntibus⁸ fuse disserit. De antiquorum autem artificiis et quæstibus Tullium si sequimur,⁹ nonnulla sunt liberalia et ingenua, alia vero sordida habenda ; non autem ducebatur indignum neque turpe neque inhumanum etiam pueris atque infantibus servilia (quæ iure dicuntur) imponere opera, corporibus eorum maxime laboriosa maximeque insalubria. Quod et ex infantium et puerorum ossium dentiumque testimoniis patet, quæ sunt Herculanei reperta, et a medicis radiologis recens tractata. Erant autem pueri et inter servos qui sive ruri sive in oppidis apud optimates et ditiones homines in eorum familia laborabant, et ipsi nonnumquam optimates qui prima iam ætate variis honoribus et muneribus fungebantur. Artifices quoque erant pueri et operarii et saltatores et histriones et pugiles et cursores, destinabantur ad metalla, versabantur et apud milites.

Neque mirum quod quæ sunt servitio non improaria, neque de pueris erant tacenda : quintum de pæderastia agit capitulum.¹⁰ Quod variis exemplis de pueris delicatis, de servis (et maribus et feminis) dominorum suorum voluntati subiectis, de puellis teneriore ætate in matrimonium collocatis,... ex litteris et rerum scriptoribus dilucide illustratur. Res vero venerea, utrum

Romanis licita sit habita an reprobanda sit visa, non tam ad liberam animorum inductionem, neque ad amasiorum ætatem respiciendam, neque ad legem quandam a natura mortalium cordibus insitam, quam ad singulorum ingenuitatem et ordinem atque civium honorem dignitatemque servandam atque tuendam videtur spectavisse. Quid denique Christiana religio paulatim inventa ad familiæ coniugiique dignitatem contulerit non ignorat scriptor noster.

Subiunguntur, ut par est, post conclusionem (pp. 251-262), indices vocum potiorum (pp. 281-282), compendiorum (pp. 283-285), et præcipue adnotationum (pp. 287-343).¹¹

(rettulit Wolfgangus Jenniges)

1. Pueritia apud antiquos ad quintum fere et decimum ætatis annum computabatur ; de pueris autem præcipue agetur, idque necessario, cum de puellis plerumque sileant fontes (cf. p. 264).

2. Qui liber compluribus quoque imaginibus est exornatus.

3. Cf. *Melissa. Folia perenni Latinitati dicata* n. 119, a. 2004, p. 16.

4. « Methodologisch postscriptum » p. 263-280. Quod cum magni profecto momenti sit, in initio potius ponendum fuisse vel saltem a lectore prius legendum nobis quidem videtur.

5. pp. 17-41.

6. pp. 43-95 : « De vroegste kinderjaren (0-7 jaar) ».

7. pp. 97-131 : « Romeinse kinderen op school (ca. 7-15 jaar) ».

8. pp. 133-197 : « Romeinse kinderen aan het werk ».

9. Cf. *De officiis*, 1,150.

10. pp. 199-249.

11. Errata reperimus pauca, neque in tanta argumentorum atque fontium mole ultra modum vituperanda : viri docti (equitisque atque collegii Corporis Christi apud Oxonienses olim præpositi) Dover prænomen recte Kenneth, non « Keith » (p. 236) ; nomen imperatoris cui debetur codex recte Theodosius, non « Theodosianus » (p. 245, cf. p. 193).

J. DE LANDTSHEER, D. SACRÉ, C. COPPENS, *Justus Lipsius (1547-1606), een geleerde en zijn Europese netwerk*, Catalogus van de tentoonstelling in de Centrale Bibliotheek te Leuven 18 okt. - 20 dec. 2006, Supplementa Humanistica Lovaniensia XXI, Leuven University Press, 2006, 626 p. - ISBN 90-5867-567-X.

De Iusto Lipsio virisque Europæis, quibuscum ille eruditus commercium habuit, tractat crassus catalogus exhibitionis, quæ Lovaniæ in magnifica bibliotheca universitaria facta est a die 18 m. Oct. in diem 20 m. Dec.

BIBLIOTHECA LATINA



In qua multa documenta, libri, epistulæ, chalcographiæ, laute ostendebantur.

Liber incohatur adumbratione vitæ Iustii Lipsii (1547-1606) eiusque operum. In tribus primis capitulis agitur de eius vita, ubi natus, ubi eruditus sit, ubi vixerit, quibus in studiorum universitatibus docuerit. Sedem enim Iustus Lipsius compluries mutavit. Natus in oppido Overijse, studia Coloniæ fecit in Collegio Tricoronato, apud Jesuitas. Jesuita ipse voluit fieri et prima vota fecit, sed postea sententiam mutavit. Postea Lovanii studet Collegiumque Trilingue frequentat. Deinde Romæ est secretarius cardinalis Granvelle. Inde Vindobonam migrat; in universitate Ienæ fit professor historiæ et artis oratoriæ. Uxorem tum dicit Annam van den Calstere, quacum in patriam mox reddit. Vita autem in Brabantia propter bellum inter Hispanos et rebellantes protestantes facta est iniucunda. Itaque Lipsius Lugdunum Batavorum petit, ubi tredecim annos docet.

Sed desiderium patriæ eum tenet. Facile tamen non est regionem catholicam petere, si quis in terra protestantica vivit. Circuitus est faciens, imprimis per Coloniam, deinde per Leodium. Denique patriam intrare licet; in qua Lipsius usque ad finem vitæ manebit, Lovanii docens.

In quarto quintoque capitulo agitur de claris viris, quibuscum Lipsius commercium habuit. Multa clara nomina enumerantur; eorum vitæ et rationes, quibus cum humanista coniuncti erant, singillatim explicantur.

Denique in sexto capitulo agitur de officina Plantiniana, in qua libri Iustii Lipsii edebantur non sine bono effectu.



R. Adam, M. DE SCHEPPER, *Bibliotheca Lipsiana Bruxellensis. Les livres de Juste Lipsie conservés à la Bibliothèque royale de Belgique*, Bruxelles, Brepols et Musée de la Maison d'Érasme, 2006, 272 p. – ISBN 978-2-503-52538-9 et 2-930414-15-4.

Nolimus mirari, quod altera de Lipsio exhibito Bruxellis proponitur: hoc enim anno celebratur Iustus Lipsius ante quadringentos annos vita functus. Hæc librorum exhibito, a Bibliotheca regia Museoque Domus Erasmianæ instituta, usque diem 4 m. Februarii a. 2007 Bruxellis fit in pulcherrimo Museo Domus Erasmianæ, sub titulo « Constance et Inconstance » – bona occasio domus Erasmi iterum, aut tandem, videndæ.

In hoc catalogo etiam variis aspectibus adumbratur vita Iusti Lipsii: eius opera, successus, detractores, bibliotheca, amici, mors. Ostenduntur insuper nomisma ab artifice Iacobo Jonghelinck anno 1601 cælatum, quinque ineditæ epistulæ ad Erycium Puteanum, nuper inventæ, quattuor dedicationes in quibusdam « albis amicorum » conscriptæ, necnon eius domus natalis.

Addamus denique huius catalogi exstare versionem Nederlandicam. ■■

In hoc fasciculo !

*Cedant armi intelligentiae [G. Licoppel] p. 1
De itinere meo Alexandrino (I) [L. Dolidon] p. 3
De orbitate liberorum involuntaria p. 7
De pugile invicto [V. Ciarrocchi] p. 10
In Tartariam (IV) [F. Deraedt] p. 12
Bibliotheca Latina p. 14*

*Imago tegumenti : Larive-Fleury, Dictionnaire français illustré
des mots et des choses, Parisiis, 1889, s.v. vélocipède.*



SYMPOSIVM ARVERNVM

instituet Melissa d. 23-30 m. Iulii a. 2007,
auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ

Proxima æstate Melissa symposium Latinum in Francogallia instituet in Arvernorum montibus olim vulcaniis, in vetere oppido Sancti Flori (Saint-Flour). Habebitur in præstanti ædificio iuxta vetrem oppidi partem sito, unde patet latus prospectus. In hoc ædificio nuper ad seminaria accipienda aptato participes conclavibus fruentur privatis commoditatibus præditis.

Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Amplum thema generale erit « de epistulis Latinis », quales, quomodo, de quibus argumentis decursu sæculorum scriptæ sint. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

